



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**B. Haymonis, Episcopi Ante DCCC. Circiter Annos  
Halberstadensis, Historiae Ecclesiasticae, Sive De Rervm  
Christianarvm Memoria, Libri X**

**Haimo <Halberstadensis>**

**Helmestadi[i], 1671**

Cap. XXIII. De haeresi Encratitarum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10968**

diximus, Antiochiæ commentarios scribit, & hæreticos, qui tunc surrexerant, disputationibus præclaris confutat, & præcipue Marcionem, cum quo *Irenæus* & *Modestus* magnifice laborant. Sed & *Melito* Sardensis Antistes, & *Apollinaris* Ierapolitanus, celeberrimi habentur, & scribunt libros pro nostra intercessione *Antonino*, Imperatori Romano. Extant autem Melitonis multa & præclara opuscula, in quibus Ecclesiæ fidei regulam mira depingit ratione. Hic in libello, quem de explanatione scripturarum scribit, quasi in præfatione enumerat, quæ sint veteris Testamenti volumina, quæ in Canone debeant observari. *Irenæus de hæresi Encratitarum.*

## CAP. XXIII.

*De hæresi Encratitarum.*

**T**unc surgit hæresis *Encratitarum*, à *Saturnio* & *Marcione* descendens, damnantium cibos animalium, quos Deus cum gratiarum actione humanis usibus percipiendos destinavit: nuptias quoq; & fornicationem, & corruptionem pari, lege judicantium. Quorum auctorem quendam fuisse ajunt *Tatianum*, qui primo auditor fuit *Iustini*, sed in vita ejus nihil tale quidem prodidit; sed postquam ille martyrio resolutus est, abscedit se ab Ecclesiis, doctoris arrogantia tumidus. Et ut major cæteris existimaretur, proprium docendi instituit stylum. Verum hic *Tatianus*, collationem faciens quandam *Evangeliorum*, nescio quomodo, componit unum

unum evangelium ex quatuor, quod *Diatefferon* nominant. Nam etiam nunc habetur à multis. Extat unus hujus ex multis libellus, quem *adversus gentes* scribit, qui ex omnibus scriptis ejus præcipuus, & valde utilis comprobatur. Per idem tempus pullulant innumeræ hæres, & præcipue apud *Mesopotamiam*. Quibus fortiter obstat disertissimis disputationibus suis *Bardesanes* quidam, potens in verbo & doctrina, & vehemens Dialecticus, & libros scribit, maxime *adversus Marcionem*: quos propria lingua, hoc est *Syra*, compositos, discipuli ejus in *Græcum* vertere sermonem. *Sother* etiam hoc tempore Romanae Ecclesiæ Episcopus pius, & clemens circa fratres & sanctos; indigentibus, quæ corporalis usus expetebat, large impartiens; cum sedat annis VII., vivendi finem facit. Et nos hic quarti voluminis finem faciamus.



F 3

D.HAY-